

admittuntur; presertim verò, quorum interest, Gonzalez in c. fin. h. t. n. 3. cum communi arg. c. 1. De iis, quæ vi metusque causa, ubi Matrimonium contractum impugnavit, & audita est Priorissa cum Monialibus ob præcedentem professionem Religiosam à conjugio emissam.

8 Resp. V. Ad Matrimonium accusandum qui sunt habiles, possunt illud quovis tempore etiam multis annis post Matrimonium jam elapsis accusare: dummodò paratas probationes habeant, suspitione careant, & Impedimentum tale sit, cui conjuges renuntiare non possunt. Rursus communis. Ratio patet, quia, cum Matrimonium invalide contractum, nullo temporis tractu validatur, actio contra illud nunquam præscribitur. Imò datur accusatio contra illud, esse pro valore illius sententiam jam effectam; quia in Matrimonio sententia nunquam transit in rem judicatam, textu expresso c. Lator. 7. de Sentent. & re judicat.

9 Resp. VI. Ab accusando Matrimonio plures omnino repelluntur. Patet inductione. Nam I. Ab accusando repelluntur, qui ex turpi quæstia accusationem intendunt, nitentes v. g. conjugibus accusationem, nisi pecuniam tribuant. Omnes textu claro c. Significasti. 5. h. t. Ratio est, quia tales malitiosè & falsò accusare presumuntur, arg. can. Prohibentur. caus. 1. q. 1. & l. Qui accusare ff. de Accusat. Debent autem resistentes accusationi probare, quòd quæstus causâ accusatio intentetur; quia delicta non presumuntur, sed probari debent per vulgaria.

10 II. Repellitur, cui post factas Denuntiationes Matrimonii Impedimentum non manifestavit, sed tacuit; nisi probabile esset, tales Denuntiationes factas ignorasse, quia v. g. tunc abiens, aut infirmus, aut insufficiens, & rem non satis intelligentis ætatis fuit, vel etiam, si juret, quòd, etsi Denuntiationes factas sciverit, tamen post Matrimonium jam contractum in notitiam Impedimenti primum venerit. Ita tota Conclusio cum suis limitationibus habetur cap. fin. h. t. & sequuntur omnes DD. Ratio ibidem additur; quia alias, & nisi aliqua ex positis limitationibus adsit, tacens Impedimentum tempore Denuntiationum videtur suspectus, & ideo procul dubio repellendus.

11 Additur tamen in cit. fin. h. t. quòd etiam filialis, qui tempore Denuntiationum sibi notatum omnino Impedimentum manifestare, ad accusandum non admittatur, is tamen alicui alteri dictum Impedimentum aperire, hic alter verò idem Judicem etiam per modum accusationis proponere possit, & audiri debeat: ratio ibidem additur, quòd, etsi prior ob culpam silentio contractum, merito repellatur, iste tamen amoveri nequiret, cum culpabilis non existat.

12 III. Ab accusatione repelluntur conjuges in casu, de quo supra num. 5.

13 IV. Repellitur ab accusatione, qui non personaliter, sed tantum per literas accusat, textu expresso c. 2. h. t. & ibi DD. Nisi alia adminicula suffragentur, prout his verbis limitatur cit. c. 2. h. t.

14 Queritur II. Quinam possint esse testes contra Matrimonium? Resp. I. Omnes, qui habiles sunt ad accusandum Matrimonium, sunt etiam habiles ad testificandum contra illud, presertim verò illi, qui majorem habent notitiam, & fidei miras suspicte esse dignoscuntur. Denuò communis. arg. c. Licet. 47. de Testib. & Atest. ut proin, etsi alias testis idoneus patri filius, & filio pater non sit, can. Testes. cau. 2. q. 1. & l. Testes ff. de Testibus, ita tamen, sicut & ceteri consanguinei pro & contra Matrimonium patris aut filii testes esse queant, per dicta arg. c. Videtur. 3. h. t. & can. 1. caus. 35. q. 6.

Imò quavis aliàs de Jure nullus possit esse simul accusator & testis in eadem causa, can. Nullus, 2. caus. 4. q. 4. l. Omibus. 10. c. de Testib. tamen in causa Matrimoniali id fieri posse, (saltem quando agitur de consanguinitate, vel affinitate) patet ex can. Si duo. 4. can. De parentela 5. & c. Episcopus. 7. caus. 35. q. 6. Non quidem in casu, quo quis propriè talis existit accusator, ut vult Innocentius ad Rubr. h. t. sed quando est denuntiator Impedimenti, seu quando absque formali accusatione illud præcisè denuntiat; tunc enim, si Judex Ecclesiasticus inquirat, is ipse, qui denuntiavit, etiam testis esse poterit, ut bene advertit Abbas ad Rubr. h. t. in fine, quem sequitur Pirhing h. t. n. 3. & alii, arg. c. In omni. 4. de Testib. & Atest. & c. Cum in tua. 27. de Sponsal. & Matrim.

Resp. II. Sicut ab accusatione, sic à ferendo testimonio repellitur testis ob quæstum inductus, arg. c. Sicut. 12. de Testib. & Atest. Sicut etiam testis, qui non personaliter, sed per literas deponit, arg. l. Testium. 3. ff. 5. 3. de Testib. can. Testes. 15. caus. 3. q. 9. & c. A nobis. 2. h. t. ubi Summarium sic habet: Accusatio, & testimonium in causa Matrimoniali personaliter, & non per literas fieri debent. Observat tamen Gailus lib. 1. Observat. 101. n. 4. in pluribus Germaniæ locis tum privilegio, tum consuetudine haberi, quòd nobiles, ac Illustres testimonium scriptura per sigillum suum Nobile obsignatâ ferre queant.

Queritur III. Quis sit Judex in causa Matrimoniali? Resp. I. Causas Matrimoniales omnes ad solos Ecclesiasticos pertinere Judices. Unanimis ac certa, utpote definita à Concilio Tridentino Sess. 24. can. 12. ibi: Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, Anathema sit. Ratio patet; quia Matrimonium est Sacramentum, consequenter res spiritualis, siquæ ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, arg. c. Si Judex. 12. de Sentent. Excomm. in 6. ibi: Ad Judicem Ecclesiasticum (quia agitur de re Ecclesiastica) cognitio pertinet.

Resp. II. Non quivis Ecclesiasticus, sed ordinario Jure Episcopus est iudex competens in causis Matrimonialibus, textu expresso c. Accedentibus. 12. de Excess. Prælat. & Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 20. v. Ad hæc: ibi: Causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum Judicio, sed Episcopi tantum examini, & Jurisdictioni relinquuntur.

Quoniam verò Vicarius Generalis Episcopi potest ea, quæ Episcopus, per ea, quæ diximus Lib. I. Tit. XXVIII. de Officio Vicarii §. IV. Is quoque, etiam absque speciali mandato, juxta communem sententiam cognoscere, & judicare potest de causis Matrimonialibus; & speciali insuper argumento desumpto ex c. fin. de Cognat. Spiritual. & c. 1. de Frigid. & Malef.

Capitulum quoque Sede vacante (quia ad illud ordinaria Episcopi Jurisdictione transit, c. Hi qui. 11. & c. Cum olim. de Majoritat. & Obedient.) sicut & Vicarius Capituli, Judex competens in causa Matrimoniali est, Barbosa de Offici. & potest. Episc. Allegat. 84. n. 4. Quaranta in Summa Bullarum. v. Capitulum Sede vacante. Covarruvias de Sponsal. par. 2. cap. 8. §. 12. n. 1.

Insuper Jure ordinario Judices in his causis sunt Prælati Episcopo inferiores, nulli tamen Episcopo subjeçti, & jurisdictionem quasi Episcopalem in certo Territorio exercentes. Barbosa loc. cit. n. 3. Riccius in Decis. Cur. Archiepisc. Neapolit. Decis. 184. Rota apud Mant. Decis. 102. n. 7. Ratio est; quia, dum Concilium aliis inferioribus Episcopo hanc jurisdictionem denegat, intelligit illos inferiores, qui

qui certæ Diocesis Episcopo in certis saltem causis subjeçti existunt.

22 Resp. II. Ex commissione, & Privilegio etiam alii Episcopo inferiores Prælati, in causis Matrimonialibus Judices esse possunt. Communis ac certa. Patetque communis Ecclesiæ praxi; quia videmus, quòd alicubi Archidiaconis, alicubi alii Prælati, seu personis Ecclesiasticis ex delegatione seu commissione, vel etiam ex privilegio competat jurisdictione cognoscendi, & judicandi causas Matrimoniales.

23 Pariter potest eadem Jurisdictione per Ecclesiasticos inferiores contetudine acquiri. Barbosa loc. cit. n. 5. allegans Declarationem Cardinalium. Ratio patet; quia ea, quæ non sunt Ordinis, sed tantum jurisdictionis Episcopalis, privilegio acquiri valent, juxta communem doctrinam alibi traditam.

24 Resp. III. Judex secularis incapax est cognoscendi de causa Matrimoniali, non tantum si principaliter movetur de ea questione, puta de Matrimonii valore, divortio, dissolutione, ejus impedimentis &c. sed etiam quando incidenter de eadem est controversia: ut si principaliter movetur questio de dote, de hæreditate, de donatione propter nuptias, de adultèrio &c. (de quibus Judex secularis cognoscere utique potest) & incidenter queritur de valore Matrimonii, v. g. uno ex litigantibus illum impugnantem, Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 12. n. 1. Barbosa Allegat. 84. n. 16 & sequenti hanc Conclusionem exactè discutit. Ratio patet; quia Judex laicus incapax est judicandi causas spirituales, quocunque tandem modo in questionem veniant, c. 1. de Judicis, & ampliùs dictum est Lib. II. Tit. I. §. 2.

25 Econtra bene potest Judex Ecclesiasticus questione de causa Matrimoniali principaliter nota, incidentes questiones, aliàs ad Judicem secularem pertinentes, v. g. de hæreditate, de dote, de alimentis, &c. cognoscere. Barbosa loc. cit. n. 18. & 19. Gattierrez Pract. q. lib. 1. q. 44. d. n. 6. cum communi patetque clarè ex c. 1. Qui filii sint legitimi, c. de Donat. inter virum & mulierem. Ratio patet; quia Judex Ecclesiasticus esse non est incapax cognoscendi causas temporales, uti Judex Laicus incapax est cognoscere spirituales.

26 Queritur quomodo probari debeat, & quot testes requirantur ad hoc, ut Matrimonium declaretur nullum, & dissolvatur quoad vinculum? Resp. Ad hanc questionem patere Tit. seq. §. 1. q. IV.

- 3 Non item dispensatione Pontificiæ.
- 4 Probatur ex Jure.
- 5 Et ratione; quia est Jure Divino insolubile.
- 6 Solvitur Adversariorum prima objectio de potestate Papa concessa à Deo.
- 7 Solvitur secunda petitio ex unione Christi cum Ecclesia, & anima.
- 8 Solvitur tertia petitio ex facto Pontificum.
- 9 Pontificum quoque opiniones privata revocata sunt. Ibid.
- 10 Fidelium Matrimonium consummatum, nullâ ratione solvi potest quoad vinculum.
- 11 Quia est de Jure Divino.
- 12 Et significat unionem Christi cum Ecclesia, & Verbi cum carne.
- 13 Solvitur Objectio hæreticorum.
- 14 De solutione Matrimonii infidelium, & hæreticorum quoad vinculum;
- 15 Conjuges etiam certi de nullitate Matrimonii, non possunt propriâ autoritate discredere ab invicem in Foro externo.
- 16 Si una pars discedit propriâ autoritate, debet alteri petenti nuptias restituere, nisi discedens in continentem probare possit, vel veli nullitatem.
- 17 Neque potest, aut debet, Judex conjugibus facile credere, nisi sufficiens probatio assit.
- 18 Et quidem plena.
- 19 Per testes juratos omni exceptione majores.
- 20 Si notoriè constet de nullitate Matrimonii, debet Judex etiam nemine accusante illud dissolvere.
- 21 Vel de nullitate inquirere, quando non notoriè de ea constat, sed fama est.
- 22 In dubio, an Matrimonium valeat, nec ne, Judex pronuntiare debet pro Matrimonio.
- 23 Certo sciens conjugum Matrimonium esse nullum, oblatens Impedimentum, nec petere, nec reddere potest debitum, etsi Episcopus id jubeat.
- 24 Imò tenetur etiam contra mandatum Judicis discredere propriâ autoritate, si absque periculo incontinentiæ, & peccati alteri cohabitare nequeat.
- 25 Limitatur in casu, quando Papa, vel Episcopus dispensare potest, & solet.
- 26 De Infidelium & Hæreticorum Matrimonii dissolutione, remissivè.

TITULUS XIX.

De Divortio.

1 Ratio continuationis.

Quandoquidem Accusationem in causa Matrimoniali sequitur Divortium, recto ordine, præcedenti Titulo Qui Matrimonium accusare possunt, sequitur præterea de Divortio: quia verò fieri potest Divortium tam quoad vinculum, quàm quoad solam cohabitationem & thorum, hinc de utroque hic agemus.

§. I.

De Divortio, seu dissolutione Matrimonii tam consummati, quàm rati quoad Vinculum.

SUMMARIUM.

2 Fidelium Matrimonium ratum solvitur professione Religiosa.

Queritur I. An, & quot modis quoad Vinculum fieri possit Divortium, & solutio Matrimonii Fidelium Rati, non Consummati, Resp. I. Verè, ac legitime contractum fidelium Matrimonium ratum solvitur quoad vinculum professione Religiosa. Est certa atque de Fide, textu claro, c. Verum, & c. Ex publico. de Convers. conjug. & Concil. Trident. Sess. 24. can. 6. ibi: Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem, a terius conjugum, non dirimi, Anathema sit. Hinc cuius conjugum post contractum jam Matrimonium conceditur hinc mestre ad deliberandum, an consummare Matrimonium, vel Religionem ingredi veit, cit. c. Ex publico. 7. de Convers. conjug. De quo amplius vide Lib. III. Tit. XXXII.

Resp. II. Quavis gravissima inrer DD sit controversia, an etiam dispensatione Pontificiâ solvi quoad vinculum possit Fidelium Matrimonium ratum, non consummatum, tamen sententia negans, spectando Jura & rationes, probabilior apparet, eamque tuerent gravissimâ DD. ut D. Bonaventura in 4. dist. 27. q. 2. & 3. Scotus in 4. dist. 31. q. 1. Pontius lib. q. cap. 2. n. 3. dicens, hanc sententiam tenere ferè omnes Theologos. Soto in 4. dist. 27. q. 1. d. 4. ubi ait, contrariam sententiam nec probabilioris umbram habere, Gattierrez Can. qq. lib. 1. cap. 17. d. n. 12. Alexand. de Nevo in c. Duas de Sponsa duorum.



duorum. num. 14. Petrus Ledesma de Matrim. a 1. dub. 1. dicens, contrariam sententiam esse improbabilem, Palao de Sponsal. disp. 3. pun. 2. §. 2. n. 3. & alii, contra Sanchez lib. 2. Disp. 14. n. 2. Anchoran. in c. Ex publico. de Convers. conjug. nu. 9. & ibi Abbatem. n. 14. atque Canonitas communiter.

4 Probatur Conclusio tam ex Jure, quam ratione. Ex Jure quidem can. Hl. qui. 25. caus. 32. q. 7. Et. Ex parte. 15. de Convers. conjug. ubi habetur, quod, ex quo Matrimonium inter legitimas personas per verba de presenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, nisi per professionem Religiosam: ubi etiam clare innuitur, quod absque revelatione Divina dissolutionem Matrimonii rati concedente, nulla de causa quoad Vinculum solvi possit Matrimonium ratum, juncto c. Licet. 3. de Sponsa duorum.

5 Ratione autem; quia Matrimonium etiam ratum Jure Divino esse indissolubile; in Jure Divino autem nequit Papa dispensare juxta dicta Lib. I. Tit. II. §. 18. n. 455. An. probatur ex illo Matth. 19. cap. 6. Quod Deus conjunxit, homo non separet, & c. un. de Voto. in 6. ubi Papa de Matrimonio rato loquens, expresse dicit: Quod Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesie Capite, verum omnium Conditore, ipsam in paradiso, & statu Innocentie influitur, unionem & indissolubilitatem accepit. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 24. ubi de Matrimonio indistincte loquens statim a principio sic ait: Matrimonium perpetuum, indissolubileque nexum primus humani generis parens Divino spiritus instinctu pronuntiavit; cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adheret uxori sue.

Nec dicas, hos textus loqui de Matrimonio consummato. Resp. enim, hoc gratis dici; cum omnes textus generaliter ac indistincte loquantur, consequenter indistincte veniant intelligendi, arg. c. Quia circa. 22. de Privileg. & l. de Pretio. ff. de Public. in Rem. alt. Accedit, quod Adversarii ipsi fateantur, & ex his textibus probent, Matrimonium ratum Jure Divino esse indissolubile. Confirmetur ex ipsa Matrimonii definitione ita sonante: Matrimonium est legitima conjunctio maris & femine individuum vite consuetudinem retinet, c. Illud de Presum. Accedit adhuc quod etiam plerique DD. sententia hujus negativae Adversarii ipsi fateantur, Matrimonium etiam ratum esse de Jure Divino indissolubile.

6 Obijciunt Adversarii I. Principale fundamentum: Ex eo, quod Deus dederit Papae tanquam suo in terris Vicario potestatem dispensandi etiam in iis, quae sunt Juris Divini, quando id exigit bonum publicum, aut commune Ecclesiae, vel animarum, videtur quoque concessisse potestatem dispensandi in Matrimonio rato, nondum consummato, casu quo id exigit bonum Ecclesiae, aut animarum salus; juxta illud Matth. 16. v. 18. & 19. ubi Christus Petro, & Successoribus amplissimam facultatem tribuens dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam &c. Quocumque solveris super terram, erit solutum, & in caelis. Ex quo fundamento Papa etiam in votis Jure Divino litigantibus dispensat. Resp. Hoc argumentum probare nimium, videlicet, quod Papa etiam a Matrimonio consummato dispensare valeret, cum quae, in o magis & saepius pro bono communi Ecclesiae, & animarum salute fervire, si dispensaretur in Matrimonio consummato, quam rato; ut consideranti patet: Ergo si ob bonum Ecclesiae, & animarum salutem non potest dispensare in Matrimonio consummato, neque potest in rato; cum hoc non minus ac illud sit de Jure Divino indissolubile, fatentibus ipsis Adversariis.

Nec dicas, Matrimonium consummatum ideò dissolvi non posse dispensatione Papali, quia significat indissolubilem Christi unionem cum Ecclesia; ratum vero solummodo unionem Christi cum anima per gratiam c. Debitum. de Bigam. quae, quia sepe in anima solvitur, etiam Matrimonium ratum solvi poterit. Nam contra est prinò, quod multi teneant, non solum Matrimonium consummatum, sed etiam ratum significare unionem Christi cum Ecclesia, praesertim, cum Paulus 5. ad Ephes. illam unionem indicans de Matrimonio indistincte fuerit locutus illis verbis: Hoc Sacramentum magnum est: Ego autem dico vobis, in Christo, & in Ecclesia &c.

Contra est secundò, quod, etsi dato non concessio solum Matrimonium consummatum significaret illam unionem Christi cum Ecclesia, tamen exinde non probaretur, illud ita esse indissolubile, quin dispensatione Papali a Deo ob bonum commune Ecclesiae concessa, dissolvi posset, cum etiam juxta plures Adversarios Matrimonium consummatum Infidelium, & Fidelium antiquae Legis jam praenotòrit dictam unionem, & tamen fuerit solubile. Contra est tertio, quod dissolubilitas Matrimonii non habeat suam efficaciam ex illa unionem, sed ex ipsa natura sua ac institutione Christi, prout laetè probat Pontius lib. 1. cap. 13. paterque ex textibus supra n. 5. allegatis.

7 Obijcies II. Plures Pontifices dispensatione sua dissolverunt Matrimonium ratum, ut constat de Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Pio IV. & Gregorio XIII. qui ultimus teste Sanchez lib. 2. Disp. 4. uno die quatuordecim Matrimonia rata dispensando dissolvit quoad vinculum; atqui temperarium est, dicere, tot & tantos Pontifices in puncto tam gravi errasse, & nulliter egisse; ergo Resp. I. His Summis Pontificibus opponi posse Pontifices alios, contrarium sentientes, & praedicantes, atque absolute dicentes, neque in Matrimonio rato Papam dispensare posse abique revelatione Divina juxta dicta supra n. 4. Resp. II. Praefatos Pontifices secutos fuisse sententiam probabilem Adversariorum: per quod nondum probatur, nostram sententiam non esse probabiliorem; praesertim cum etiam opiniones & praxes ipsorum Pontificum a Successoribus nonnunquam revocate fuerint, tanquam minus rectae, ut constat ex c. Licet. 3. de Sponsa duorum, ubi Innocentius III. statuit, Matrimonium ratum non solvi per subsequens Matrimonium etiam consummatum, quanquam (ut inquit) aliter a quibusdam Antecessoribus nostris sit aliquando judicatum.

8 Queritur II. An etiam Fidelium Matrimonii consummati fieri quandoqueque possit Divortium seu dissolutio quoad vinculum? Resp. nulla ratione, nec etiam dispensatione Pontificia quoad vinculum dissolvi potest Matrimonium consummatum Fidelium. Et nennim Catholicorum contra haereticos volentes, etiam hoc Matrimonium quoad vinculum solvi posse propter unius adulterium, aut discessum a vera Religione. Ratio Conclusio est, quia consummatum Matrimonium Jure Divino esse indissolubile; consequenter illud nullus praeter Deum quoad vinculum dissolvere potest; praesertim quia nec ex traditione, nec ex revelatione aliqua nec ex usu Ecclesiae constat, Deum Pontifice dedisse potestatem dispensandi in hoc Jure Divino.

9 Quod autem Jure Divino sit indissolubile, probatur. Ex textibus num. 5. allegatis, qui si non etiam de rato, saltem de consummato Matrimonio intelligi debent. Quibus accedit illud Pauli ad Rom. 7. Mulier vivente viro alligata est legi. Et 1. Corinth. 7. His, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non disce-

discedere: quod si discesserit, manere inuuptam, aut viro suo reconciliari. Concordat Concilium Tridentinum Sess. 24. can. 5. ibi: Si quis dixerit, propter haereticos, aut molestam cohabitationem, aut affectatam ab-sentiam a conjugio dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit. Et can. 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi &c. Anathema sit. Qui textus saltem de Matrimonio consummato intelligi debent; quamvis etiam de Matrimonio rato merito applicari valeant, per dicta à nobis. 3.

11 Aliam rationem Conclusionis communiter etiam allegant illam, quod Matrimonium consummatum significet mirabile ac indissolubile illam unionem Christi cum Ecclesia, c. Debitum. 5. de Bigam. ac etiam unionem hypostaticam Verbi D. cum natura humana. Verum exinde suam indissolubilitatem Matrimonium consummatum non desumere, cum Pontio jam dictum est supra numero 7.

12 Obijcies cum haereticis illud Matth. 19. Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur; ergo; quia exceptio firmat regulam in contrarium, arg. l. In iis, quae ff. de Legib. licitum est ob fornicationem dimittere uxorem, & aliam ducere. Resp. negando consequentiam; quia ibi nisi ob fornicationem refertur solummodo ad prius, non ad posterius, ut duplex sensus sit: primus: Quicumque uxorem dimiserit (quoad Thorum nempe, seu cohabitationem juxta dictam infra) quae non est rea fornicationis, moechatur, seu facit eam moechari, ut dicitur Matth. 5. v. 31. & 32. id est, inquit praebet eidem occasionem moechandi; si vero ob fornicationem seu adulterium eam dimittit quoad Thorum, non moechatur, seu non facit eam moechari, cum non injuriam sed justè eam dimittat. Alter sensus est, & quidem absolutus: Quicumque uxorem dimiserit, & aliam duxerit raptò priori vinculo, implet adulteratum, nulla causa ab hoc excusante. Concordat textus Matth. 5. v. 31. & 32. ibi: Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: Et qui dimissam duxerit, adulterat: ubi rursum, ut vides, excepta fornicationis causa refertur ad prius ad dimissionem nempe; non item ad posterius videlicet, Qui dimissam duxerit. Accedit perpetua traditio Ecclesiae, hos textus intelligat sensu intelligentis. Et merito; seculi enim certè lata porta aperiret adulteris, utpote quibus medianibus conjuges alias malè cohabitantes, & separationem anhelantes, facillè separari, aliisque pro libitu nabere possent. Plura de hoc Controversissè.

13 Queritur III. An, & quando quoad vinculum solvi queat Matrimonium Infidelium & Haereticorum? Resp. Ad hoc quaesitum jam patere supra de Matrimonio Infidelium quidem Lib. III. Tit. XXXIII. De Matrimonio Haereticorum verò, hoc Libro Tit. I. n. 357. & Tit. III. de Matrimon. Clandest. §. 3.

14 Queritur IV. Quid requiratur, & qualis adest debeat probatio ad hoc, ut dissolvatur quoad vinculum Matrimonium sive ratum, sive consummatum, cum Impedimento dirimente contractum? Resp. I. Ad dissolutionem, seu divortium Matrimonii quoad vinculum requiritur imprimis auctoritas legitimi Judicis, ita ut privata conjugum auctoritate dissolvi, aut unus alterum dimittere nequeat; etiam si certi sint de Impedimento dirimente, idque notorium existat. Communis ac certa textu claro c. Porro 3. h. t. ubi Papa sub Excommunicatione Reiffensuel Jus Can. Tom. IV.

Conitem Pontium adigit, ut uxorem, quam ob notoriam consanguinitatem dimisit, iterum recipiat, ex eo, quod sit etiam parentela publica esset & notoria, abque judicio Ecclesiae ab eo separari non potuit: quare ipsum ad eam recipendam districte compellat; quam si recipere noluerit, cum & supra dist. m. (aliam nempe uxorem) vinculo Excommunicationis adstringas.

15 Resp. II. Si una pars conjugum ob praesentiam nullitatem Matrimonii propria auctoritate discedit, tenetur Judex ante omnia illam per Juris media, etiam censuras compellere, ut redeat ad conjugem; nisi de impedimento dirimente, consequenter etiam de nullitate Matrimonii notorie constet, aut pars discedens habeat probationes in continentem paratas. Ita expresse statuit c. Per litteras. 13. de Restit. Spoliat. ubi etiam additur, quod, si pars discedens probationes quidem pro se in continentem non habeat, sed ad eas faciendas indigeat dilatione longiori aut mora, ante omnia restituenda sit conjugi, à quo propria auctoritate discessit. Ratio subjungitur; quia praesumitur contra eam, quae sine judicio Ecclesiae sua tantam temeritate recessit: quare pro Foro externo intelligi: quod enim in Foro interno facere possit conjux conficius Impedimentum? dicitur infra à n. 22.

16 Resp. III. Non debet, nec potest Judex Matrimonium in facie Ecclesiae contractum dissolvere quoad vinculum; ex hoc solo, quod unus vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore vicini fatentur, sed cum Impedimento criminis v. g. vel affinitatis, aut consanguinitatis contraxerit, nisi sufficientes probationes accedant: Rufus communis ac certa, textu expresse c. Super eo. 5. de eo, qui cognovit, ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: Cum & quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, & ad confessionem inaccessi (aut alterius impedimenti) facillè praeserirent in suo judicio crederent, per judicium Ecclesiae concurrendum. Rumor autem viciniam non addo esse judicandum validus, quod, nisi rationabiles, & sicut digne probationes accedant, possit bene contractum Matrimonium irritari.

17 Resp. IV. Ad hoc, ut Judex Ecclesiasticus vinculum Matrimonii dissolvat, debet eidem de Impedimento dirimente constare per probationem plenam & perfectam; qualis est, quae fit per duos testes omni exceptione majores. Iterum communis ac certa, arg. c. 1. de Confang. & Affinitat. & c. Super eo. 22. de Testibus cum Concordant. Ratio est; quia causa dissolvendi Matrimonium quoad vinculum est una ex gravioribus, & in praedictum magnum tam tertii, tum Sacramenti redundantis, consequenter exigit plenam probationem, per ea, quae diximus Lib. II. Tit. XIX. de Probat. ubi etiam habes, quatenam sint, & dicantur probationes plenae.

18 Quod, si probatio fiat per testes, debet fieri per testes saltem duos omni exceptione majores. arg. cit. c. 1. de Confang. & Affinitat. ibi: Per testes omni exceptione majores. Ratio est; quia unus testis quantumvis habilis non facit plenam probationem, arg. c. Licet universis, de Testib. qui etiam debent esse jurati. arg. can. Illud. 6. & can. de Parentela 8. caus. 35. q. 6. quia testis non juratus nihil probat, per Vulgaria.

19 Porro quatenam sint testes habiles contra Matrimonium jam contractum, constat tum generaliter ex Lib. II. Tit. XX. de Testib. Tum specialiter ex Tit. praeced. ubi etiam habes, quatenam sit Judex in causa Matrimoniali.

20 Resp. V. Etsi nemo Matrimonium accuset, potest nihilominus, & debet illud Judex Ecclesiasticus etiam quoad vinculum dissolvere, quando de ejus nullitate, seu Impedimento dirimente notorie & certe



certe constat. Abbas in c. Perro. q. h. t. n. 4. & ibi DD. communiter: Textus est in cit. c. 3. h. t. ubi Papa ita respondet Episcopo Ambianensi. quod non apparentibus accusatoribus, & parentela manifestata & publica existente (idem die de alio Impedimento) tui Officii interest, Matrimonia illa, adhibita gravitate disj. vere.

20 Ino etiam notorie de Impedimento non constat, existat tamen fama de illo, potest Judex Ecclesiasticus ex Officio inquirere, & quemcumque compellere, ut testimonium de illo deponat. Abbas loc. cit. n. 4. & ibidem Glossa communiter recepta y. Seu publica, arg. c. 1. de Offic. Ordinari. juncto can. Episcopus, in Synodo. 7. caus. 35. q. 6.

21 Resp. VI. Quandoquocumque five precedente accusatione, five facta inquisitione, five ex alio capite, de Matrimonio jam contracto apud Judicem fit questio aut controversia, debet Judex in Foro externo pro valore Matrimonii pronuntiare, si causa rite examinata, non habetur plena probatio, sed dubium maneat, an re vera subit aliquod Impedimentum, consequenter an Matrimonium valeat, nec ne. Rursus communis, arg. c. Super eo. 22. de Testib. & Atestat. cum Concordantiis, & sequitur necessarii ex Conclusionem num. 17. data, ubi dictum est, ad dissolvendum vinculum Matrimonii requiri plenam probationem; per Jura & rationes ibidem allegatas. Quibus accedit, Quia Matrimonium jam contractum est res favorabilis, c. Directe 3. Qui Matrim. accusare possunt. Hinc licet ad impediendum Matrimonium sufficiat unus testis, fama, aut dubium de Impedimento, juxta unanimum, non tamen sufficit pro vinculo dissolvendo, ut bene advertit Glossa communiter recepta in cit. c. Super eo. de Testib. & Atestat. y. Firmatum.

22 Queritur V. Quid faciendum conjugibus, si contracto jam Matrimonio cognoscunt, illud esse nulliter contractum ob versans inter illos Impedimentum dirimens? Resp. I. Conjug, qui certis scit, Matrimonium esse nullum, non reddere, nec petere potest debitum conjugale: etiam si impedimentum probare nequeat, & propterea forsitan a Judice Ecclesiastico per Censuras compellatur ad reddendum debitum. Unanimis & certa, textu expresso c. Inquisitioni tua. 44. de Sentent. Excommunic. ibi: Debet potius sententiam Excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnalem copulam, peccatum operari mortale. Concordat c. Litteras. 13. de Restit. Spoliat, ubi etiam ratio habetur: Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; & quidquid fit contra conscientiam, edificat ad gehennam.

23 Resp. II. Quamvis unus vel ambo conjuges certam notitiam Impedimenti habentes, Matrimonio jam contracto ab invicem propria autoritate discedere nequeant, sed pro Foro externo indigeant autoritate Judicis juxta dicta num. 14. Nihilominus si Impedimentum ita est constitutum, ut illud plene probare non possint, vel ob diffamationem sui non audeat: possunt, imo tenentur in foro conscientie ab invicem discedere, si absque periculo incontinentie ut frater & soror simul cohabitare nequeant. Neque tenentur in Foro interno obedire Episcopo, contrarium etiam sub Censura precipienti. Rursus communis per Jura citata, praesertim c. Litteras de Restit. Spoliat, ubi dicitur, quod, si in tali casu Episcopus discedenti a conjugibus sub Censura imperat, ut redeat, ita discedens debeat negando Thori consortium Censuram humiliter tolerare. Ratio est, quae in priori Conclusionem; quia nempe contra propriam conscientiam agere nemo potest, arg. cit. c. Litteras.

24 Limitatur tamen Conclusio casu, quo tale inter conjuges versatur Impedimentum, in quo Papa,

vel Episcopus potest, & solet dispensare; tunc enim quamvis Matrimonium utpote nullum dissolvere valerent, si vellet, tamen non tenerentur, sed possent procurare dispensationem. Imo hanc procurare nonnunquam tenerentur; ut si bonum prolium ex simili Matrimonio progenitarum, aut alia gravis causa id exigeret. Quibusdam autem in Impedimentis Papa, vel Episcopus dispensare possunt, & soleant: Item quo modo dispensationes hujusmodi obtineri valeant, ac quo modo interea conjuges se habere, atque obtenta dispensatione Matrimonium revakdare debeant, practicè dicemus infra post Titulum ultimum in Appendice hujus IV. Libri Decretalium.

De solutione Matrimonii Infidelium, & Haereticorum, vide supra n. 13.

§. II.

De Divortio, seu dissolutione Matrimonii quoad Thorum & cohabitationem, & causis ejusdem.

S U M M A R I U M.

26 Divortium quoad Thorum, & cohabitationem quid?

27 Potest fieri vel mutuo consensu conjugum,

28 Vel etiam altero invito.

29 Assignantur plures causae faciendi Divortium quoad Thorum.

30 Solvitur instantia ex Scriptura.

31 Uno veram Religionem deservente potest alter propria autoritate facere Divortium, nec tenetur ad eum postea conversum redire.

32 Si Religionem ingredi velit, alius secus.

33 Qui ab altero conjugis ad peccatum grave, quodcumque tantem, incitatur, potest discedere ab illo. Et num. seq.

34 Etiam propria auctoritate quoad Forum internum;

35 Secus quoad Forum externum; nisi probare possit incitationem ad peccatum.

36 Ob viri sevitiam, ex qua imminet uxori periculum vitae, aut gravis damni corporalis, potest uxor facere Divortium.

37 Non item ob levem verberationem: haec enim viro licita est, saltem ex justa causa.

38 Imo nec propter gravem praeteritam, si non sit periculum in futurum. Et num. seq.

39 Vir etiam ex justa causa non potest graviter verberare uxorem, bene verò evit. Ibid.

40 Probabilis timor, aut periculum gravis, etsi non lethalis verberationis, aut atrocioris tractationis in futurum, praebet sufficientem causam Divortii. Et num. seq.

41 Mone quando ad hoc sufficiant? & universaliter quando metum gravem incitant?

42 Gravis verberatio, aut crudelis tractatio quae?

43 Ob periculum gravis verberationis potest uxor discedere, etsi ex culpa illam promerita esset.

44 Etiam propria auctoritate: & quo modo? Et num. seq.

45 Nec tenetur redire, nisi vir prius cautionem sufficientem praestet non offendendo.

46 Quae sit cautio sufficientis?

47 Si sevitia viri, aut aversio animorum est nimia, tunc etiam sub cautione non tenetur redire.

48 Idem die, si sevitia est plene probata.

49 Praxis procedendi in causa sevitiae.

50 Etiam ob sevitiam uxoris datur Divortium. Defensio est Juris naturalis. Ibid.

54 Solvitur Objectio.

55 De Divortio ob morbum minus.

56 Ob recentias causas non fit perpetuum Divortium.

26 Queritur I. Quid sit Divortium quoad cohabitationem, & Thorum? Quomodo item? & ob quas causas fieri valeant? Resp. I. Divortium quoad cohabitationem & Thorum est legitima vitii & uxoris separatio, manente vinculo Matrimonii valide contracti. Ita in re communis, arg. tota hac Rubrica. & l. 101. §. 1. ff. de V. S. Dicitur legitima, id est juxta Leges, & Canones; secus enim Divortium nec licitum, nec validum foret; cum Matrimonium Individuam vitae societatem secum trahat. Dicitur manente vinculo Matrimonii, ad differentiam Divortii quoad vinculum, de quo §. praeced.

Hoc Divortium fieri potest vel quoad solam Thorum, id est, quoad debitum conjugale alteri licite denegandum, vel quoad Thorum, & cohabitationem simul, ita ut conjuges non tantum ab obligatione reddendi debitum, sed etiam habitandi in eadem domo, mensa, & lecto immunes fiant.

27 Utique hoc Divortium ulterius fieri potest vel mutuo consensu conjugum, vel etiam altero invito. Mutuo consensu fit, quando ambo intrant Religionem, aut vir assumit statum Clericalem, juxta dicta Lib. III. Tit. XXXII. de Convers. Conjug. Item quando amore castitatis, aut ex alia ratione se obligant, aut voluntarie mutuo consensu a cohabitatione Thorum ad tempus, aut in perpetuum se separant; quod fieri posse, constat tum ex c. Charissimus de Convers. Conjug. Tum ex merito Apostoli 1. Cor. 7. ibi: Ad tempus sese separant conjuges, ut vacent orationi. Tum ex eo, quod nullo Jure sit prohibitum, consequenter censetur concessum, juxta illud Glossa in c. Inter corporalla. v. Non invenitur de Translat. Episcop. Consensum intelligitur, quod expresse non prohibetur. Verum de hoc Divortio per mutuum consensum facto, hic principalliter non agitur, sed de illo, quo etiam alio invito fieri potest, de quo.

28 Resp. II. Certum est in dubitatum est quod etiam invito altero, certis ex causis fieri possit separatio seu Divortium quoad Thorum & cohabitationem. Patet Conclusio ex tota praesenti Rubrica, estque definita in Concilio Tridentino sess. 24. can. 8. ibi: Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationes inter conjuges, quoad Thorum seu cohabitationem ad certum, incertumque tempus fieri posse, decernit, Anathematis.

29 Resp. III. Causae, ob quas Divortium altero invito fieri potest, sunt quinque. Videlicet I. Alterius fornicatio spiritualis, seu lapsus in haeresin, vel gentilismum. II. Periculum salutis spiritualis, seu incitatio ad peccatum. III. Sevitia. IV. Morbus contagiosus, aut aliud grave periculum corporis. V. Aholterium, ut patebit ex dicendis: dum de singulis singulas questiones proponemus.

Interea Obijcies illud Matth. 19. ubi Christus dixit: Qui unque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem &c. machatur: ergo non plures, sed unica est causa faciendi Divortium quoad Thorum & cohabitationem. Resp. negando consequentiam. Ad textum Christi respondetur per illum textum solummodo probari, quod Adulterium sit unica causa Divortii perpetui, seu ob quam in perpetuum dimitti potest adulterans; nam ob reliquis causis non in perpetuum, sed ad tempus solummodo, quamdiu nempe durat talis causa, periculum v. g. corporis & animae, fieri potest Divortium.

Queritur itaque specialiter II. An, & quo modo ob Fornicationem spirituales, seu lapsum in haeresin, &c. machatur. Jus Can. Tom. IV.

refin, aut gentilismum fieri potest Divortium? Resp. I. Ob hanc causam conjux innocens etiam propria autoritate facere potest Divortium quoad Thorum & cohabitationem, ita tamen, ut, si Reus haeresis iterum converteratur, eum recipere, seu ad eum redire denique teneatur innocens, nisi judicio & auctoritate Ecclesiae factum esset Divortium; tunc enim redire ad convertitum non amplius tenetur, sed Religionem intrare potest, si vult. Communis ac certa, textu expresso c. De illa. 6. h. t. ibi: De illa, quae viro suo labente in haeresin, sine judicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier ei, cum conversus fuerit, est reddenda; quae etiam si reverti noluerit, compellatur. Si verò judicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendum. Concordat c. Quanto 7. eod. & c. fin. de Convers. Conjug. ibi: Mulier, quae in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, per quem ab eo fuerat judicio Ecclesiae separata, ad Religionem liberè convolare.

Resp. II. Quamvis uno conjugum in haeresin, & aut infidelitatem lapsus, alter judicio Ecclesiae propterea separatus, ad Religionem transire, & ad conjugem postea convertitum redire non amplius teneatur, per dicta num. praeced. tamen si Religionem aliquam ingredi non vult, convertitum iterum recipere, & ei matrimonialiter cohabitare tenetur. Joan. Andreas in c. Quanto. h. t. in fine, Ancharanus in c. De illa. eod. n. 5. & ibi Barbosa in fine, Piching h. t. n. 31. c. Glossa communiter recepta inc. fin. de Convers. Conjug. contra Sanchez lib. 10. Diss. 15. nu. 15. & 19. arg. c. Quanto. h. t. a sensu contrario. Ratio est; quia cautela perpetui Divortii assignata est solus Adulterium a Christo Domino Matth. 19. Tum quia separatio, seu perpetuum Divortium Matrimonii ob periculum incontinentiae, & alia scandala ac damna pro viribus vitandum ac restringendum videtur: Nec sine textu expresso adimendum est conjugi revertenti jus cohabitandi, quod Jure Divino ei competit. Nec obstat c. De illa. 6. h. t. ubi expressè & absolute disponitur, non esse cogendum, ut ad convertitum redeat, qui ab ipso ob haeresin judicio Ecclesiae separatus est. Resp. enim, illud Capitulum debere concordari cum c. fin. de Convers. Conjug. & intelligendum, si Religionem ingredi velit. Quod si alium sensum evincere quis contendat, responderetur cum Glossa in dictum c. De illa. h. t. illud Capitulum esse quoad hoc correctum per sequens c. Quanto. eod.

Queritur III. An, & quomodo ob periculum animae, ac incitationem ad peccatum fieri possit Divortium quoad Thorum & cohabitationem? Resp. Quando unus conjugum alterum ad unum, vel plura graviora crimina, v. g. ad sodomitiam, ad furtum, ad maleficium, ad deserendum fidem &c. ita incitat, ac inducit, ut sine periculo salutis spiritualis habitare cum eo non valeat, potest ab eo discedere etiam propria autoritate. Sanchez lib. 10. Diss. 17. n. 5. Abbas in c. 2. h. t. n. 3. & ibi Barbosa n. 4. & alii DD. communiter, Engel h. t. n. 22. arg. cit. c. 2. h. t. & can. Idolatria §. caus. 28. q. 1. ibi: Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quae in stupris cum alienis viris, aut faminis committuntur, sed omnino quaslibet, quae animam corpore male utentem a Legge Dei aberrare faciunt, & perniciosè, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine & vir uxorem dimittere, & uxorem virum. Ratio est; quia Jure Divino cuius licitum est, animae vitare periculum, juxta illud Salvatoris Matth. 5. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te.

Nec obstat, quod cit. c. 2. b. t. propter solam incitationem ad deserendum veram Religionem conce-



concedatur *Divortium*, & ob alia crimina negari videatur: ibi: *Mulier pro furto, aut alio crimine viri sui, nisi fidei sue Religionem corrumpere velit, ab eo separari non debet. Verum si conjugem suum ad infidelitatis maleficium traxerit, ad viro poterit separari.* Resp. enim, hic solum allegari incitationem ad deserendam fidem, quia uno conjugum in heresim aut gentilitium prolapso, regulare ac ordinarium est, quod etiam alterum ad eandem incitet, & inducat; à conjugum autem fure, latrone, aut aliis criminibus inquinato, inquinatio & peruersio alterius ad idem vitium raro contingit. Hinc merito disponit Papa ex eo solo, quod unus conjux furto, aut aliis criminibus sit subjectus, alter non possit discedere, intellige, nisi eundem ad simile vitium incitet, consequenter in illud prolabendū periculum patiatur.

**35** Porro, sicut ob heresim, sic etiam ob periculum in alia labendi crimina, ex incitatione unius conjugis provenientes, potest alter propria auctoritate discedere. Sanchez lib. 10. *Disp. 17. num. 10. arg. cit. can. Idololatria. 5. caus. 28. q. 1. ubi dicitur omnino posse.* dicitio enim omnino est præcisâ, & importat, quod quid abique alia dispositione fieri queat; ut bene advertit Sanchez lib. 1. *Disp. 32. num. 6.* Accedit ratio; quia, si conjux ex cohabitatione cum alio periculum animæ patiatur, Jure Divino potest discedere, consequenter non indiget auctoritate Judicis, intelligit pro Foro interno.

**36** Nam pro Foro externo utique compellatur ad conjugem iterum redire, quantumvis gravibus criminibus hic inquinatus exsistat, *arg. c. 2. h. t. & can. Omnes accusationes. 7. caus. 32. q. 7. nisi probet, se ab illo ad similia crimina incitari;* quia hæc incitatio, cum etiam sit crimen, probari debet, *per vulgaria;* cum crimina non præsumantur, sed probari debeant. Verum est in foro externo etiam per Censuras compellatur, in foro interno tamen obedire non tenetur; si revera periculum patiat salutis à cohabitatione viri; prout in simili dictum est supra de casu, quo conjux ob occultum impedimentum discedens, per Censuras cogitur redire ad conjugem, *arg. c. Inquisitioni tuae de Sent. excom. & c. Litteras de Restit. Spoliat.* quæ Confellariis bene sunt notanda.

**37** Queritur IV. An, quando, & quomodo fieri possit *Divortium* ob sævitiam unius? Resp. I. Potest fieri *Divortium* ob viri sævitiam, si tanta est, ut uxore absque periculo vitæ, vel gravis damni corporalis viro cohabitare non valeat. Unanimis ac certis, claris Juribus. c. *Ex transmissa. 8. & c. Litteras. 13. de Restit. Spoliat.* Ratio est; quia Jus naturale, ac Divinum cuius concedit facultatem adversus vim injustam, ex qua imminet periculum vitæ aut gravis damni corporalis, *arg. l. Ut vim. 3. ff. de Just. & Jur. ergo.*

**38** Resp. II. Verbera seu verberatio levis non præbet justam causam *Divortii*, Sanchez lib. 10. *Disp. 18. n. 16. Tholosan. lib. 9. Synagmag. cap. 15. cum Glossa communiter recepta in can. Sicut. 39. caus. 7. q. 1. x. Judicari.* Ratio est; quia levis verberatio, quæ ob justam causam vir uxorem correctionis causâ excipit, licita est, Joan. Andreas in *c. Quædam admodum. 25. de Jurejur. n. 16. & ibi Abbas n. 5. & s. fin. Hostiensis ad finem, Ancharanus n. 12. Alexander de Nevo. n. 13. Sanchez loc. cit. n. 16. cum Glossa citatâ communiter receptâ, arg. l. Preceptoris. ff. ad Legem Aquil. Accedit, quod levis verberatio non importet sævitiam; unde, etiam abscque justa causa fiat, non probet causam *Divortii*, ut bene advertit Sanchez loc. cit. & confirmatur Dicoesium usum & consuetudine, quæ est optima Legum interpret. L. 37. ff. de Legib.*

Resp. III. Verberatio etiam gravis & atrox jam præterita, quæ ex insolita ira, vel perturbatione processit, ac passum timorem, aut probabile periculum ejusdem etiam in futurum exercendæ non inducit, non est sufficientis causa faciendi *Divortium*, Sanchez loc. cit. Gutterez lib. 1. *Can. 49. cap. 24. num. 9. Layman lib. 5. tr. 10. p. 3. cap. 7. n. 17. §. Secundò dixi.* Castro Palao de Sponjal. *Disp. 3. pun. 6. §. 9. n. 7. Bartosa Rub. ff. Solutio Matrim. p. 2. n. 32. & alii communiter docentes, non esse attendendam & alii communiter docentes, non esse attendendam malam, & atrocem tractationem præteritam, sed justam timorem, & probabile periculum hujusmodi in futurum securæ, quæ planè timeri prudenter non potest ex eo, quod vir aliàs satis pacificè cum uxore vivens unâ aut alterâ vice, ob insolitam iram, aut extraordinariam perturbationem, vel circumstantiam verberibus graviter tractet uxorem; quamvis cæteroquin per hoc culpabilis sit, utpote qui uxorem etiam graviter delinquentem graviter puniendi non habet potestatem; nam graviter vel atrociter puniendi delinquentem etiam servum, nedum mulierem, Judici competit, ut bene advertunt Abbas loc. cit. & alii, arg. §. Sed hoc tempore. Instit. quæ sunt Jui, vel alieni. Unde hodie punitur vir, qui sine causa leviter, vel cum cautâ graviter verberat uxorem.*

Cæterum ratio, quare ob solam præteritam gravem, vel atrocem verberationem non possit fieri *Matrimonii Divortium*, est; Tum quia ex una vel altera præcedenti gravi verberatione factâ, ex libitanea ac inconscia ira &c. non præsumitur sævitia viri: Tum quia solum ad evitandum injuriam imminentem, non ad ulciscendum illatam permittitur conjugi *Divortium* ob sævitiam alterius. Tum quia uxor ob sævitiam viri separata, iterum redire debet, si sævitia cessit, & eidem sufficienter cautum est: ergò multò magis, si simile tractamentum in futurum timendum non est. Hinc bene monet Gutterez loc. cit. cautos esse debere Advocatos, ut non solam præteritæ sævitie, sed & timoris ac periculi probabilitatis de futuro, nisi separatum conjuges, deductionem faciant.

Resp. IV. Propter probabilem timorem & periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis futuræ, etiam seculo vitæ periculo, validè ac licitè potest fieri *Divortium* quoad *Thorum*, & cohabitationem. Sanchez lib. 10. *Disp. 18. n. 16. Bosco de Matrim. Disp. 2. sect. 16. Concl. 13. à n. 446. Pontius lib. 9. cap. 23. n. 5. Engel h. t. num. 23. Layman loc. cit. n. 16. §. Oportet autem. cum communi aliorum, arg. l. Consensu. 8. §. 2. C. de Repud. & Novell. 22. cap. 15. ibi: aut si flagellis super eâ utatur. Ratio est; Tum quia gravis aut atrox verberatio, vel crudelis tractatio causam mentem cadentem in virum constantem. Tum quia conjuges cum tanto periculo non censentur se obligasse ad cohabitandum.*

Inferitur. Adeste sufficientem *Divortii* causam non tantum si vir infideliur vitæ uxoris, aut hæc aliàs sine vitæ periculo ob illius sævitiam eidem cohabitare non possit (de quo nemo dubitat, *arg. l. Consensu de Repud.*) sed etiam, si ex viro genio, passione, cholera, nimia irâ, præcedentibus actibus, aut aliis circumstantiis probabile periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis apparet. Et quamvis periculum ex præcedenti unâ gravi verberatione regulariter non præsumatur, præsertim si facta est ex insolita ira, aut extraordinariâ circumstantiâ; tamen ea possunt concurrere circumstantiæ, ut etiam ex uno præcedenti tali actu probabilerit, & merito timeantur etiam similes in futurum.

Solæ tamen minæ gravis verberationis aut crudelis

**§. II. De Divortio, seu Dissolutione Matrimonii &c.**

crudelis tractationis non præbet sufficientem causam *Divortii*; nisi minans aliàs solitus sit minas suas exequi, aut ex minantis genio, naturâ, vel mirandi modo executio minarum probabiliter timeatur. Secus enim minæ justum timorem in virum constantem non incutunt. Sanchez loc. cit. num. 13. Mafcardus de Probat. *Concl. 1376. num. 2. & 3.* Menochius de Arbit. *Judic. cent. 2. casu 140. nu. 2. arg. l. unica, C. Si quis Imperatori. ibi: Ex personis hominum dicta pen. Senus. Et l. Famoli. §. ad Leg. Jul. Majest. ibi: Nam & persona spectanda est, an poterit facere, & an ante vid fecerit, l. Mentum. C. de His, quæ vi: ibi: Metu non faciantibus tantum, vel constantibus, sed atrocitate probari conuenit. & l. Hec autem ff. Si cui plus: ibi: Cum possunt elusorie fieri minæ.*

Cæterum quantum gravis verberatio, aut crudelis, vel atrox tractatio sit, quando item attendendæ censeantur minæ, multum pendet ex arbitrio prudentis Judicis, pro diversitate personarum, & circumstantiarum judicantis. Pontius lib. 9. *cap. 23. num. 5. Sanchez lib. 10. Disp. 18. num. 10. & alii regulam universalem tradunt, dicentes, eam esse verberationem gravem, seu atrocem, aut crudelem tractationem, quæ consideratis personis gravem metum, cadentem in virum constantem incutit: veluti (ut Pontius exemplificat) percussio; ex qua abortus sequitur: item quæ sanguinolenta est (non ex naribus) & vulnus facit, præsertim in capite, facie; item, quæ ad tempus infirmitatem uxoris causat, ita ut per aliquot dies in lecto se continere debeat. Item quæ sit in pectore: ita ut per aliquot dies sanguinem spumat uxor: item si fit baculo in percussione fracto &c. item, & vel maximè, quæ cum vitæ periculo fit, ut si vir apertè uxoris collo aut pectori gladium, sclopetum, cum animo, aut minis occidendi: secus est, si faciat ad erudendum aliquod secretum. Advertit insuper Pontius loc. cit. & cum Bosco, Minoris molestias sufficere ad probandam sævitiam viri, si uxor nobilis est, pudica, honesta, ac morigerâ, quam si plebea, rixosa, inmorigerâ &c.*

Resp. V. Sævitia viri, aut gravis, vel atrocis verberationis, vel crudelis tractationis probabilis timor & periculum præbet sufficientem *Divortii* causam; etiam si uxor culpam committit tam acris castigatione dignam. Sanchez lib. 10. *Disp. 18. n. 16. ad finem, Bosco Disp. 12. sect. 16. Concl. 13. à nu. 443. Pirthing h. t. nu. 61. Pontius lib. 9. cap. 23. n. 5. in fine, can. de Benedicto. §. caus. 32. q. 1. & l. Nec timorem. 7. ff. de Eo, quod metu causâ. Ratio est; quia quamvis uxor ob qualitatem delicti possit puniri & castigari tali gravi, vel atrocis poenâ, tamen hæc non competit viro, sed Judici per dicta n. 39. junctâ l. Preceptoris. 6. ff. ad Leg. Aquil. ibi: Preceptoris enim nimia sævitia, culpa assignatur. Abbas in *c. Quædam modum de Jurisjur. n. 14. ad finem.**

**36** Resp. VI. Quando uxor ex sævitia viri patitur probabilem timorem aut periculum vitæ, membrum, gravis, aut atrocis verberationis, aut crudelis tractationis juxta dictâ, potest propria auctoritate discedere à viro, non quidem ad faciendum verum & constans *Divortium*, sed ad vitandum tale periculum, donec causâ coram Judice propositâ, sententia feratur, vel eidem sufficienti cautio de securitate præferatur. Gutterez lib. 1. *Can. 49. cap. 23. n. 8. Sanchez lib. 10. Disp. 18. n. 3. Boico loc. cit. nu. 441. Engel h. t. nu. 23. Pirthing h. t. nu. 62. Layman lib. 5. tr. 10. p. 3. cap. 7. nu. 18. arg. c. Ex transmissa. 8. & c. Litteras. 13. de Restit. Spoliat.* Ratio est; quia existentes, & urgente tali periculo, Jus Reipensitui Jus Can. Tom. IV.

nature defensionem quovis modo etiam ex fuga capiendam concedit, *arg. l. Ut vim. 3. ff. de J. & J. & l. Itaque. q. ff. ad Leg. Aquil. ibi: Nam adversus periculum naturalis ratio permissit se defendere.*

Quod, si tamen periculum in mora non esset, sed uxor usque ad sententiam Judicis secura foret, propriâ auctoritate discedere non possit; prout Conclusionem bene limitant DD. citati, *arg. c. Transmissa. & c. Litteras. de Restit. Spoliat.* Advertit nihilominus Engel loc. cit. in casu sævitie ordinariè etiam fuisse periculum in mora, consequenter posse uxorem non expectatâ Judicis sententiâ, imò nondum factâ accusatione, propriâ auctoritate discedere juxta dictâ num. præced.

Resp. VII Si uxor ob probabilem metum & periculum mortis, mutilationis, vel gravis, atrocisve verberationis, crudelis tractationis &c. ex sævitia viri provenientes, propriâ auctoritate discedit, non tenetur redire ad virum, nec ad redeundum à Judice compelli potest, nisi eidem prius sufficienti cautio de non offendendo præferatur, etiam si vir ante omnia petat restitutionem uxoris, donec illius sævitia probetur, Abbas in *c. Ex transmissa. 8. de Restit. Spoliat. n. 2. & ibi DD. Pontius lib. 9. cap. 23. n. 7. Gutterez loc. cit. Engel loc. cit. cum communi, arg. can. De benedicto. cau. 32. q. 1. & c. Ex transmissa. 8. de Restit. Spoliat.* ubi dum mandat Papa, ut mulier discedens viro restitatur, additur: *receptâ tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquid malum inferre, & c. Litteras. 13. eod.*

Cenietur autem cautio sufficienti, quæ fit per pig-nora, vel fidejussores. Sanchez lib. 10. *Disp. 18. n. 40.* cum communi *arg. l. Mandati. 59. §. fin. ff. Mandati.* quam si ob inopiam prestare nequit maritus, sufficit cautio mariti juratoria. Sanchez loc. cit. n. 38 & 42. Engel h. t. n. 23. Pirthing eod. nu. 62. Layman loc. cit. n. 17. cum communi, *arg. Auth. Generaliter. C. de Episcop. & Cleric.* Ratio est, quia nemo potest ad impossibile obligari, *c. Nemo de Reg. Jur. in 6.*

Si tamen tanta est sævitia, odium, aversio, passio, aut vindicta viri, ut per cautionem uxori sufficienter non esset provisum, ipsaque cautione non obstantè, periculo expostâ probabiliter censeretur, non tantum non restitui, sed viro adhuc cohabitans anoveri, & in loco probo ac honesto usque ad causæ decisionem tutò collocari debet, textu expresso c. *Ex transmissa. 8. de Restit. Spoliat.* ibi: *Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod metiò de ipso diffidat, alicui, probe, & honestè mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosius committatur in loco, ubi vir, & parentes eius mulieri nullam possint inferre violentiam, Et c. Litteras. eod. in fine, ibi: Si verd tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet restitui, sed ad eo potius amoveri.*

Imò Pontius lib. 9. *cap. 23. n. 6.* allegans plures auctores, & Rotæ Decisionem, docet, quod, si uxor plenè probet viri sævitiam, cautionem de non offendendo accipere non tenetur, sed *Divortium* absolute petere possit; eò quod tunc tantum cautio huic locus fit, quando sævitia plenè probata non apparet, sed indicia solum, & signa adsunt: non autem si sævitia concludenter probata habetur; tunc enim fragilitati cautionis fidendum non est.

Ex dictis deducitur cum Gutterez lib. 1. *Can. 49. cap. 24. n. 5. & 6. Sanchez lib. 10. Disp. 18. num. 30. Layman loc. cit. num. 17.* praxis servanda à Judice Ecclesiastico. Videlicet, quod, quando uxor ex causa sævitie petit *Divortium*, Judex interroget causam timoris de futura viri sævitia, petatque ut designet testes sævitiam probantes: quo præstito,



Præfinito, si Judici causa timoris, & testes sufficientes videntur, statim interlocutoriè pronuntiet, ut uxor interea ponatur in tuto loco apud honestam & probam matronam, viroque & consanguineis ejus prohibeat, ne malum aliquod uxori inferant, ipeque vir eidem alimenta, & litis expensas subministrat, donec causa decidatur. Dein examinet testes, totamque causam, & videns, quod per sufficientem cautionem de non offendendo, uxori sufficienter provisum sit, jubeat eam ad virum sub cautione per eum præstanda redire: Si verò sævitia plenè probata, vel tanta esset, ut per cautionem uxor secuta non foret, Divortium absolute inlittere debet.

53 Resp. VIII. Non tantum ob sævitiam viri, sed etiam ob sævitiam uxoris, præsertim insidians vitæ mariti, aut machinantis mortem illius, fieri potest Divortium. Sanchez lib. 10. Disp. 18. n. 8. Abbas in c. 1. l. n. 4. & ibi Hostiensis n. 2. Joan. Andreas n. 3. Ancharanus in fine, Palao de Sponsalibus Disp. 3. p. 6. §. 9. n. 6. eam communi contra Glossam in c. Quæsi. ii. §. vel alio, de Jurejur. & nonnullos DD. Ratio manifesta est; quia Jus naturale cuius concedit facultatem adversus vim iniustam se tuendi, & periculum illius quovis modo declinandi, arg. l. Vim. 3. ff. de J. & J. & l. Itaque 4. p. ff. ad Leg. Aquil. ergo.

54 Nec obstat, quod c. Ex transmissa. 8. & c. Litteras. 13. de Rescrit. Spohat aliæque Jura ob sævitiam viri Divortium concedentia, de sola sævitia viri mentionem faciunt. Nam contra est; quod hoc idè fiat, quia viri sævitia frequentior est; verba autem Legis ratione frequentioris casus non restringunt dispositionem Legis.

Nec obstat can. Quidquid. 22. caus. 32. q. 5. ibi: Quiquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, vel si accusaverit, non est, exceptè causâ fornicationis, rejicienda. Resp. enim illum Canonem non excludere causas in Jure expressas; aliàs enim nec ob hæresin viri dimittere posset uxorem.

55 Queritur V. An, & quando ob morbum unius fieri possit Divortium? Resp. Ad hoc quæsitum patere suprâ Tit. VIII. de Conjugio Leprosorum. ubi vide.

56 Queritur VI. An ob recensitas causas fieri possit Divortium perpetuum; consequenter eo facto liceat innocenti ingredi Religionem? Resp. Negative, communis. Ratio est; quia factâ emendatione tenetur innocens iterum redire ad nocentem, & eum recipere.

Limitatur tamen quoad ingressum in Religionem in Divortio facto ex causa hæresis, juxta dictâ nu. 31. & 32.

De Educatione prolium, & alimentatione eidem præstandâ in casu Divortii dicitur infra, & Tit. seq. de Rescrit. Dotis, aut omissione ejusdem, & aliorum.

§. III.

De Divortio quoad Thorum perpetuo ex causa adulterii.

SUMMARIUM.

- 57 Ob adulterium unius licet alteri instituere Divortium Jure Divino, & humano.
- 58 Sive vir, sive mulier adulteretur.
- 59 Idem est, si alterutra pars sodamiam committat, aut bestialitatem.
- 60 Non item ob tactus, amplexus, & oscula etiam cum pollutione, sine copula facta.
- 61 Solvitur objectio ex Jure Civili.

62 Ob Adulterium materiale commissum absque culpa non datur Divortium.

63 Ut, si uxor ab alieno vi opprimatur.

64 Secus est, si metu mortis, aut alterius gravis mali tandem consentiat.

65 Mulier aut vir ex ignorantia congregians cum aliena, non dat causam Divortii.

66 Neque fieri Divortium potest, si unus alterum prostituat, aut in Adulterium consentiat.

67 Etiam tacite.

68 Mulier etiam tacens ad Adulterium, ordinariè non censetur tacite consentire.

69 Nec vir idè tacens, ut uxorem aliâ vice cum testibus deprehendat.

70 Ob adulterium ab uxore occasione hujus commissum, quia vir eam expulit, aut alimenta negavit &c. datur Divortium.

Peccatum contra naturam ob grave malum evitandum non sit licitum. Ibid.

71 Si innocens nocenti injuriam remittit, non amplius instituere potest Divortium.

Juri suo renuntiare quisvis potest. Ibid.

72 Innocens non tenetur ob Adulterium dimittere nocentem, nisi aliud exigat scandalum.

73 Potest injuria Adulterii condonari expressè.

74 Vel tacite, ut si vir post cognitum Adulterium cum adultera copulam habet.

75 Vel etiam familiaritatis conjugalis signa exhibet.

76 Aut adulterum voluntariè domi recipit adulterio jam existente publico.

77 Conditiones requisitæ ad hoc, ut quis censetur tacite remittere injuriam Adulterii, usque ad num. 80.

80 Si uterque adulteratur, Divortium fieri non potest.

81 Nec refert, quod unus prius, alter posterius sit adulteratus.

82 Aut unus graviss, vel sæpius altero.

83 Vel unus adulterium sit occultum, alterius publicum.

84 Quid facere debeat occultus adulter, casu quo est uxoris adulterium publicum?

85 In foro externo Adulterium publicum per occultum non compensatur.

86 Conjuges ob adulterium per sententiam dimissis, juxta aliquos non restituitur, est post lotam sententiam, & factum jam Divortium etiam alter fornicatur.

87 Probabilis tamen est contrarium.

88 Paria delicta compensatione delentur.

89 Quando Adulterium est notorium, potest pars innocens propriâ auctoritate discedere.

90 Solvitur instantia.

91 Qui certò scit, conjugem suum Adulterium commississe, probare tamen non potest, in foro interno licitè eum repellere, vel ab eo divertere potest.

92 Secus est in foro externo. Et num. seq.

93 Ob suspicionem aut dubium Adulterii nec in foro interno, nec in foro externo licet dimittere uxorem.

94 Solvitur instantia.

95 Innocens potest conjugem adulterum semper iterum recipere.

96 Non tamen tenetur, etsi multis annis poeniteat. Et num. seqq.

97 Limitatur hoc in aliquibus casibus, ita ut innocens teneatur demò recipere nocentem.

100 Innocens pro libitu revocare potest nocentem etiam post sententiam Divortii, teneturque nocens redire.

101 Solvitur instantia.

102 Facto Divortio an possint conjuges Religionem intrare? Remissivè.

- 103 Facto ex culpa unius Divortio liberi educantur apud innocentem. Et num. seq.
- 105 Limitatur in aliquibus casibus.
- 106 De Ammissione Dotis, Remissivè.

Queritur I. An, quando, & quomodo propter unius Adulterium fieri possit Divortium quoad Thorum, & cohabitationem? Resp. I. Jure Divino licitum est conjugii innocentij facere Divortium quoad Thorum, & cohabitationem ob consummatum, & culpabile Adulterium alterius. Ita ferè unanimis. Et quidem de Jure Divino patet ex Christi verbis Matth. 19. Quiunque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, machatur: ergo propter fornicationem, que in conjugibus semper adulterium est, licet dimittere. De Jure humano constat ex c. Significasti. 4. c. Ex literis 5. & c. Gaudemus. 8. h. i. cum concodant.

Nec refert, an vir adulteretur, an mulier; enim verò huic ob Adulterium mariti licitum esse solvere Matrimonium quoad Thorum & cohabitationem docet B. sco Disp. 12. sect. 16. Conclus. 2. Sanchez lib. 10. Disp. 3. n. 6. D. Bonaventura in 4. dist. 35. q. 3. Abbas in c. Intelleximus. 5. de Adulter. n. 3. & ibi Hostiensis n. 3. & alii tam Theologi, quam Canonistæ ferè omnes, contra Cajetanum in hoc singulare, cujus sententiam falsam, & temerariam vocat Sanchez loc. cit. valdè claro arg. cum. fin. caus. 32. q. 5. can. Si quis uxorem. 4. caus. 32. q. 1. can. Apostolus. 3. can. Placuit. 4. caus. 32. q. 7. Confirmatur ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 7. v. 12. ibi: Qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit (ob justam videlicet causam, quam ipse Deus allegat, fornicationem nempe, ut notatur can. Apostolus. caus. 32. q. 7.) movere inuptam, aut viro suo reconciliari. Ratio est; quia non minus vic, quam mulier adulterando fidem violat conjugalem, ob quam violationem Divortium licitum est.

Resp. II. Licitum est parti innocenti instituere præfatum Divortium, non tantum propter alterius carnalem copulam adulterianam naturalem, sed etiam propter sodomiticam, aut bestialem, & bestialitatem sive activam sive passivam, Sanchez lib. 10. Disp. 4. n. 3. Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 8. Pontius lib. 9. cap. 16. n. 5. Pithing. h. t. n. 5. cum communi aliorum, arg. can. Meretrices. can. 32. q. 4. & can. Dixit Dominus. ead. cau. q. 1. Ratio est; quia etiam per talem copulam carnem suam in aliam carnem dividit contra Matrimonij fidem exigentem, ut sint duo in carne una, Genes. 2. hinc dicitur cit. can. Dixit Dominus. cau. 32. q. 1. Cum illa unam carnem in alium diviserit, & se fornicatione à marito separaverit, non debet teneri.

Resp. III. Nomine Adulterii justam Divortii causam præbentis non veniunt amplexus, oscula, tactus impudici, etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula facti. Sanchez lib. 10. Disp. 4. n. 9. 10. Pithing. h. t. n. 5. Covarruvias de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 3. Layman lib. 5. tract. 10. p. 3. cap. 7. n. 7. Bosco Disp. 12. sect. 16. Conclus. 2. rem more suo egregiè deducens contra non paucos alios à Sanchez citatos. Ratio est; quia licet etiam hæc peccata sint contra fidem Matrimonij, tamen quia per illa carnis in aliam carnem non fit divisio (quia est radix Divortii ex causa Adulterii) indeque fides Matrimonij integrè & consummatè non violatur, sufficientem Divortii causam non præbent: præsertim quod in odiosis, qualis est materia Divortii, non late sed stricte interpretari oporteat Leges, c. Odia de Reg. Jur. in 6.

Nec obstant I. Consensu. 8. §. 3. C. de Repud. & 65. aliæ Leges Civiles, ex quibus habetur, non tantum ob actuale Adulterium, sed etiam ob tales actus, ex quibus suspicio Adulterii generatur, rejici posse uxorem. Resp. enim, quod causa Matrimonialis secundum Canones, & Evangelium, non secundum Leges Civiles judicari debet: unde licet de Jure Civili plures sint causæ Divortii, quam de Jure Canonico: ut patet ex Tit. ff. & C. de Divortis, & de Repudiis, tamen non hoc, sed illud Jus attenditur.

Resp. IV. Dantur insuper plures casus, in quibus ipsum etiam Adulterium non præbet sufficientem causam Divortii. Patet inductione. Nam I. quando Adulterium tantum est materiale, & non formale; id est, si absque culpa committitur, D. Bonaventura 4. dist. 35. q. 1. ibi: Non ex quacunque fornicatione fit Divortium, sed ex ea, quæ est culpabilis, Bosco loc. cit. Conclus. 4. per totum. Sanchez lib. 10. Disp. 5. Pithing. h. t. n. 9. cum communi aliorum.

Tale est Adulterium, quod cum muliere per vim oppressâ committitur. Sanchez loc. cit. n. 13. Bosco loc. cit. n. 164. Pithing. h. t. n. 10. cum Glossa communiter receptâ in can. Ia ne. 3. cau. 32. q. 5. arg. eod. ibi: Quis scia mens putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, & oppressâ carne sua exercetur, vel expleatur libido non sua? Concordat can. Proposito. 4. eod. cau. & q. Ratio est; quia (ut ait Glossa citata) Non debet quicquam perpetrare, quod nolens fecit, vel passus fuit, nec debent imputari, quæ per coactionem absolutam sunt.

Nec refert, quod uxor viro suadenti, ut ad declinandam imminentem violentiam figeret, non fuerit obsecuta, sique voluntariè quasi periculo se exposuerit, Sanchez loc. cit. n. 14. Bosco loc. cit. & alii per Jura num. præced. citata, & l. Vim passam. ff. ad l. Jul. de Adult. ubi absolute, ac indistinctè deciditur, non esse impetandum Adulterium vim passæ. Neque obstat, quod non credendo, aut obsequendo fugam suadenti viro culpam forsitan commiserit. Nam contra est; quod non semper imputetur effectus ex culpa præcedente secutus. arg. c. Quia diversitatem, de Concess. Præbend. & ibi Glossa v. Suspensus.

Secus est, si mulier sine violentia, ex metu gra. vi cadente etiam in virum constantem v. g. metu mortis Adulterium admittit, Sanchez loc. cit. n. 16. Bosco loc. cit. Conclus. 5. Pithing. h. t. n. 11. Sylvest. v. Divortium. q. 9. casu 4. & teste Sanchez communissima aliorum. Ratio est; quia, cum talis metus non excuset à culpa mortali, nec à vero & formali adulterio, etiam non excusabit à pena. Putant tamen aliqui, exigere charitatem, ut vir in tali casu injuriam remittat uxori, nisi aliæ graves causæ contrarium suadent.

Porro ex eo capite, quod Adulterium vacet culpa, & pena, Divortium institui nequit, si quis fraudulenter sub specie mariti alienam uxorem cognoscit, textu expresso can. In lectum. 6. cau. 34. q. 1. & 2. Item si mulier credens, maritum suum, jam esse defunctum, alteri nubit, Sanchez lib. 10. Disp. 5. n. 11. cum communi, & certa aliorum; textu clero can. I. cau. 34. q. 2. dummodo, postquam fuerit certificata de vita prioris conjugis, secundo non amplius adhareat, nec debitum ei reddat; aliàs enim jam formale committeret Adulterium, ejusque incurreret poenas, ut loc. cit. bene advertit Sanchez lib. 10. Disp. 5. n. 11. Sylvest. v. Divortium. q. 9. casu 2. Hostiensis in Summa. h. t. n. 8. & alii apud Sanchez.

II. Casus, in quo ob Adulterium non fit Divortium,



vortium; est, quando vir fuit uxori causa Adulterii; veluti, si eam prostituat, vel Adulterium consulat, aut in illud consentiat, Bosco Disp. 12. sect. 16. Concluf. 5. Sanchez loc. cit. n. 4. & 5. Pontius lib. 9. cap. 17. n. 7. cum Glossa communiter recepta in c. Discretionem. 6. de eo, qui cognovit Consanguineo. arg. cit. c. Discretionem ibi: Cum adulterium ei non possit obicere, qui eam adulterandam tradidit. Ratio est; quia scienti, & consentienti non fit iniuria, c. 27. de Reg. Jur. in 6. Quae tamen iniuria est causa Divortii.

67 Ampliatur, etiam si tantum tacite consentiat, si nempe Adulterium uxoris scit, & non contradicit, sed tacet, dum tamen contradicere & prohibere possit ac debet, Sanchez loc. cit. n. 5. Bosco loc. cit. n. 203. Pirhing b. t. n. 11. cum communi, arg. l. 2. ff. C. ad l. Jul. de Adult. Ratio est; quia etiam tacens consentire videtur, c. Qui tacet. 43. de Reg. Jur. in 6. ac Taciti & expressi idem est iudicium, l. Cum quid, ff. si certum petatur, cum Concordant. quod intellige, nisi ex metu gravitante in virum constantem ac contradicendo aut prohibendo impediatur; tunc enim tacens consentire minime censetur, nec privatur iure repellendi uxorem, prout loc. cit. bene observat Bosco ad n. 197. Sanchez loc. cit. n. 5. & alii.

68 In ob hanc causam uxor tacens ad adulterium viri, quod ab eo committi scit, vel advertit, non censetur consentire, hoc ipso, quod ordinariè loquendo, feminae non audeat reprehendere viros. Accedit, quod, cum uxor sit inferior, & propterea eius officii non fit, reprehendere viri tanquam superioris delicta, eius taciturnitas non habetur pro consensu, Sanchez lib. 10. Disp. 5. n. 5. Pirhing h. t. n. 11. Bosco Disp. 12. sect. 16. Concluf. 5. n. 201. Qui tamen ibidem num. seq. addit cum Averfa, quod, si uxor in iis rerum circumstantiis existeret, ut commodè & absque damni periculo contradicere, ac impedire posset adulterium, non impediendo, vel contradicendo tacite consentire censetur; quia quoad corporis usum etiam vir subiectus est uxori, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

69 Illud tamen cum Bosco loc. cit. Pirhing h. t. n. 12. & aliis notandum, tacitum non præberi consentem, si quis conjugum five viri five mulier certo sciens alterius adulterium, simulat se ignorare, & interea testes idoneos constituit, ad eundem observandum, ut dein de adulterio illum convincere valeat; quia juxta D. Thomam 4. dist. 35. q. un. a. 3. ad quariam, & Affleck, hoc licitum est; atqui non esset licitum, si id faciens tacite consentiret.

70 Porro non censetur vir causam præbere adulterii, nec uxorem prostituere, ita ut propterea privetur iure instituendi Divortium, si eam domo expellit, & necessaria alimenta negat, indeque indirectè causat, quod uxor adulteretur, Sanchez loc. cit. n. 6. eoque teste universi Doctores, textu expresso c. Significasti. 4. h. t. & ibi Glossa v. Materiam, rationem addens; quia mulier nullà conditione ad adulterium induci debet, arg. can. 1. cau. 32. q. 5. unde etiam non est ignoscendum ei, que praetextu paupertatis turpissimam vitam egit, ut dicitur l. Palam. 43. §. Non est. 5. ff. de Ritu nupt. deberet namque mulier potius omnia mala sustinere, quam adulterium committere: cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, c. Sacris. 5. de his quae vi, met.

71 Illi Casus, in quo ob adulterium non licet facere Divortium est, quando conjux innocens nocenti injuriam remittit, Sanchez lib. 10. Disp. 5. n. 19. Engel h. t. n. 18. Pirhing h. t. n. 14. Barbosa

l. 2. ff. Solut. Matrim. & alii arg. l. Si Maritus. 15. §. Si negaverint. ff. ad l. Jul. de Adult. & l. Crimen. 11. c. eod. ibi: Crimen adulterii maritum retentū in Matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est. Ratio est; quia, cum Divortium ex causa adulterii in favorem innocentis conjugis introductum sit, eidem is renuntiare potest, cum Regula Juris sit, omnes licentiam habere, his, quae pro se introducta sunt, renuntiare, ut dicit Imperator l. penult. C. de Pañis. Accedit & alia Regula, videlicet, quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, c. quod 61. de Reg. Jur. in 6. & l. 6. C. de Legib. ibi: Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri. Certè autem sepe in detrimentum & præjudicium grave conjugis innocentis redundaret, si nocenti adulterium condonare non posset; sed eum repellere teneretur: facile enim contingere potest, quod conjux innocens nocente ejusdem vivat magno in periculo incontinentiæ, vel damnum patiat in re domestica, in educatione liberorum &c. ergo.

Nec obstant textus, ex quibus aperte constare videtur teneri virum expellere uxorem adulteram, consequenter non posse eidem condonare injuriam. ut c. 3. de Adult. ibi: Si vir sciens uxorem suam deliquisse, que non egerit penitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & particeps ejus peccati: & can. 1. cau. 32. q. 1. ibi: Si cut crudelis est, & iniquus, qui castam dimittit sic fatuus est, & injustus, qui retinet meretricem; Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. Concordat. can. Si innocenti injungitur, ut ubi tam viro, quam uxori innocenti injungitur, ut delinquentem adulteram partem dimittat, saltem ut penitentiam agat. Accedit verbum Divinum pro verb. 18. v. 24. ibi, Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens. Resp. enim, hos textus procedere in casu, quo ex retentione oritur scandalum in populo, uti contingere potest, si adulterium est publicum: vel si retentio scandalum foret ipsius conjugis, utpote ex hoc liberis peccantis: tunc enim ad eam dimittendam saltem ad tempus, & ad correctionem peccantis, obligatio esse potest: secus si scandalum ex omni parte abest, & nocens jam penitet, & se emendat, prout cum D. Bonaventura in 4. dist. 35. a. 1. q. 2. & D. Thoma ead. dist. a. 2. observat Pontius lib. 9. cap. 17. n. 3. Bosco loc. cit. Concl. 8. & alii.

Ceterum potest conjux innocens nocenti adulterium, & injuriam expressè, vel tacite remittere, condonare, & per consequens suo juri faciendi Divortium renuntiare. Prout Doctores num. præced. citati bene observant. Expressè condonat, quando verbis, aut litteris manifestis id indicat, arg. l. Si maritus. ff. ad l. Jul. de Adult.

Tacite verò condonat injuriam, suoque renuntiat juri variis modis. Primò, si innocens conjux conscius adulterii ab altero commissi nihil minus spontè ac liberè cum conjuge adultero copulam habet, Sanchez lib. 10. Disp. 14. n. 6. Bosco Disp. 12. sect. 16. Concluf. 9. D. Bonaventura in 4. dist. 35. a. un. q. 1. Hostiensis in Summa. Tit. de Adult. n. 5. Pirhing h. t. n. 14. cum communi tam Theologorum, quam Juristarum, & Glossa in c. fin. v. Fornicationis. de Adult. per jura n. 71. citata, junctà l. Quasi n. 40. §. Item quaeritur. ff. ad l. Juliam de Adult. Ratio est; quia per talem copulam carnalem, caro nocentis conjugis adulterio prius divisa, iterum una efficitur caro cum carne conjugis innocentis.

Secundò condonare censetur Tacite, quando post 75 adulte-

adulterium cognitum innocens nocenti familiaritatis conjugalibus signa exhibet, v. g. eum amplexando, osculando, impudicè tangendo, aut cum eodem ridendo, ludendo, jocando, comedendo &c. Sanchez loc. cit. n. 18. Bosco loc. cit. Engel h. t. n. 18. Pirhing loc. cit. Ratio est; quia per tales actus censetur aboleri injuria, prout docent Jason. l. 1. ff. de Pañis. nu. 15. item Glossa, & Doctores communiter, §. fin. Inst. de Injuris.

76 Terriò, si etiam absque his signis innocens nocentem domi retinet, adulterio existente publico, Sanchez loc. cit. n. 17. Pirhing loc. cit. n. 5. Hostiens. in Summa. Tit. de Adult. n. 5. & alii plures à Sanchez relati: textus expressus habetur l. Crimen. 10. C. ad l. Jul. de Adult. quem vide n. 71. Ratio est, quia talis retentio est manifestum amicitiae signum, si adulterium jam est publicum; nam si est occultum, non liberè, sed ex præcepto, saltem in foro externo eum retinet iuxta dicenda infra.

77 Ut autem ex dictis tacita præsumatur condonatio injuriæ, duo requiruntur. Primò ut innocens prius benè sciat adulterium ab altero commissum, & tamen aliquem ex recentibus actibus exerceat, Sanchez loc. cit. nu. 9. Bosco loc. cit. Concl. 9. Hostiens. loc. cit. n. 5. D. Bonaventura loc. cit. nu. 7. Surd. de Aliment. Tit. 7. q. 16. num. 101. Pirhing. loc. cit. & alii communiter. Ratio est; quia nulla est remissio, ubi est ignorantia injuriæ, iurisque competentis, l. Manifestissimi. 22. C. de Furt. Et actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, l. Non omnis. ff. Si certum petatur; at intentio remittendi injuriam esse nequit, quando injuria ignoratur. Nec sufficit, quod jam habeat rationes dubitandi, aut suspicandi; cum in dubio non possit privare conjugem jure suo, siquæ ex præcepto faciat, quod facit.

78 Altera conditio est, ut hujusmodi actus tacitam condonationem indicans ab innocente spontè ac liberè exerceatur; si enim ex metu & timore damni, aut præjudicii aliis illi imminenti, aut ex præcepto Judicis id facit, tacite condonare non censetur, nec amittit jus Divortii, Sanchez loc. cit. n. 13. & seq. Bosco loc. cit. n. 338. & seq. D. Bonaventura loc. cit. q. 3. Abbas in c. fin. de Adult. n. 7. & ibi Hostiensis n. 3. Pirhing loc. cit. num. 14. cum communi aliorum. Ratio est; quia talis condonatio debet procedere ex liberali voluntate condonantis; at nemo in necessitatibus liberalis existit, l. Rem legatam. ff. de Admenda. Legat.

Pariter non censetur libera, si quis ex ignorantia juris sui, putans, se ad hos actus teneri forsan ab alio ita malè edoctus, hujusmodi actum exerceat; ut cum aliis benè observat Sanchez cit. lib. 10. Disp. 14. n. 16. per jura præced. num. allegata.

79 Ceterum nihil refert, utrum ante vel post Divortium, aut sententiam Judicis, vel lite pendente injuriam tacite, aut expressè condonat; semper enim censetur renuntiare juri Divortii, ita, ut si ante Divortium tacite, aut expressè condonet, non amplius audiatur, si post factum jam Divortium teneatur nocentem iterum recipere, ut benè advertit Sanchez lib. 10. Disp. 14. n. 7. Barbosa l. 2. ff. Solut. Matrim. n. 100. Pirhing h. t. nu. 14. quia non est major ratio de uno quam altero; potestque innocens semper condonare injuriam per dicta n. 71. consequenter, si expressè, aut tacite id facit, semper solum effectum habebit.

80 IV. Casus est, quo ob adulterium unius fieri non potest Divortium, si alter quoque adulterium commisit, & dividendo carnem suam in alteram carnem, conjugii fregit fidem, Bosco Disp. 12. sect. 16. Concl. 6. Sanchez lib. 10. Disp. 5. & Disp. 6. eoque teste omnes, claris Juribus c. Significasti.

4. h. t. ibi; Nisi conflaret, ipsum cum altera adulterium commisisse, c. Intelleximus. 6. & c. fin. de Adult. ubi etiam ratio habetur, videlicet, quod paria crimina, movè compensationem tollantur, & deleantur. Quae ratio etiam adducitur l. Viro atque uxore. ff. Solut. Matrim.

Nec refert, quod unus prius altero commiserit adulterium, Bosco loc. cit. Sanchez lib. 10. Disp. 6. n. 6. eoque teste omnes cum Glossa in c. Veniens. §. Spondè, de Convent. conjug. Ratio est; quia Jura præced. num. citata, cum Concordant. solum attendunt læsam ab utroque fidem conjugalem, nullà habita ratione posterioritatis, aut prioritatis.

Pariter non refert, quod unus sapit quam alter, aut gravius quam alter, v. g. unus semel cum soluta, alter decies cum perona conjugata deliquerit. Bosco loc. cit. Sanchez loc. cit. n. 4. & 8. Pirhing. h. t. n. 8. Averf. & alii. Ratio est; quia licet in tali casu non fit paritas delictorum quoad numerum vel malitiam; est tamen paritas in hoc, quod pro quovis horum fiat injuria, & contra fidem Matrimonii principaliter tendens divisio carnis in alteram carnem, quæ est radix Divortii, ex causa adulterii insitumendi.

Item non refert, etsi unius adulterium sit publicum, alterius occultum; quia etiam occultè adulterium, in foro interno privatur jure faciendi Divortium ob adulterium ab altero publicè commissum, adeò ut peccet mortaliter, qui ipse coram Deo adulterii reus alterum ob simile delictum publicè repellere, aut debitum conjugale negare vellet, D. Thomas in 4. dist. 35. q. un. a. 6. ad 5. Sanchez lib. 10. Disp. 6. n. 9. Bosco loc. cit. Joan. Andreas in c. fin. de Adult. n. 7. & ibi Ancharanus n. 5. Abbas in c. Significasti. h. t. in fine. cum communi, arg. can. cau. 32. q. 6. ubi in principio sic.

Non videtur, quod pari crimine infidelis alium de eodem punire possit. Unde cum Judex adulterum accusaret, æquitas sententiam acciperet, quicumque vestrum sine peccato est, primus lapidem in illam mittat (ecce, publicam adulteram accuantem reprehenduntur ob eadem peccata sua oculis.) Hinc etiam in Evangelio præcipitur: Hyperia primùm ejice trabem de oculo tuo, & postea educes fessulam de oculo fratris tui, unde can. 1. cau. ead. & q. dicitur: Nihil iniquius, quam fornicationis causâ dimittere uxorem nisi ipse convincatur fornicari: occurrit enim illud: in quo alterum judicas, te ipsum condemnas; eodem enim agis, quæ judicas. Quapropter quisquis fornicationis causâ vult obicere uxorem, prior debet esse à fornicationis purgatus: quod similiter etiam de femina dixerim. Ratio est; quia in foro interno non requiritur probatio, sed sola sufficit veritas quantumvis occulta; utpote Deo tamen nota.

Non tenetur tamen occultè reus se ipsum diffamare, sed potest simulare, quasi injuriam publicè nocenti velit condonare, vel si ob publicum scandalum oportet dimittere publicè nocentem, juxta dicta n. 72. debet eum brevi iterum recipere simulans injuriæ condonationem.

Dicitur autem notanter in foro interno; quia in foro externo adulterium publicum per occultum non tollitur, nisi probetur, aut notorium fiat, Glossa in c. Significasti. q. h. t. §. Conflaret. Sanchez lib. 10. Disp. 6. n. 2. & 9. Bosco cit. Disp. 12. sect. 16. Concl. 6. nu. 220. cum communi & certa aliorum. Ratio est; quia in foro externo non nisi secundum allegata, & probata, vel notoria proceditur; nec præsumuntur delicta, sed probari debent, per vulgaria; Neque refert, etsi adulterii commissi aliqua signa adint, ita ut conjugem saltem suspectum reddant, Sanchez loc. cit. n. 2. Joan.